

ptibilis. Hanc apostolus ipse subdit. NE-
QUE CORRUPTIONEM CONSEQUI
INCORRUPTIBILITATEM:) Expo-
nit prius, & simileius rationem ostendit
in repugnantia. Contraria enim non cō-
sistunt, sed mutuò se pellunt. Atqui caro
& sanguis regno Dei prorsus cōtrarian-
tur. Nam regnum Dei est incorruptibi-
le: caro & sanguis sunt corruptibilia. Nō
igitur ista illius sunt capacia: nisi prius à
corruptione vindicata cœlesti statui con-
formentur. Verbum κληρονομεῖν hæreditate
consequi, (vetus possidere, non satis ex-
presè) non frustra ingeritur hīc, & alibi.
Eo enim & Christus utetur in extremi
judicij sententia: *Venite benedicti patris
mei: κληρονομεῖτε, hæreditate accipite re-
gnum, &c.* Atqui hæreditas hæredibus:
maximè adoptione scriptis non datur ex
merito vel debito: sed ex gratia. Nos verò
sumus adoptione scripti hæredes Dei, cō-
hæredes Christi: idq; ex gratia. Omne igi-
tur meritum & debitum vitæ æternæ a-
postolus hoc verbo excludit.

Conatur *Stapletonus* argutus sophista
hoc eludere , quasi hæreditas filiorum
non excludat omne meritum. Verùm ut
aliqua specie hoc de aliquibus fortè hæ-
redibus dari poffet: tamen de nobis , qui
ex mera gratia hæredes scripti sumus,
simpliciter eſt falſum , quod contendit:
ut Roman. 8. dub. 9. oſtendimus. Tacite
verò nobis ſtimulum pietatis & novæ
vitæ admovet apostolus. Si enim caro
& ſanguis regnum Dei non capiunt: cur
carni & ſanguini tam liberè indulgemus?
Cur nō maiori ſtudio reprimimus, exui-
mus , deponimus id , quod à regno Dei
nos arcet? Sic Petrus argumentatur: *Ex-*
ſpectamus cælum novum , & terram no-
vam , in quibus habitabit iustitia. Ergo ,
inquit , fratres , hac exſpectantes ſtudete ,
ut immaculati & incontaminati ab eo re-
periamini cum pace. Et paulò antè: Si
hac omnia ſolventur , quales oportet eſſe
vos , in ſanctis conuerſationibus , & pietatis
officijs ?

A Manichæi olim hoc dicto animarum immortalitatem negantes, caro inquietabat, & sanguis non ingredietur in regnum Dei. At sanguis est anima Deut. 12. Anima igitur non ingredietur: Et sanguis interit. Sanguis est anima Deut. 12. Anima igitur interit. *Augustinus* cont. Adimant. cap. 12. refutat dupliciter. Primo negat assumptionem de anima humana: Negat enim illud Deut. 12. dictum de anima hominis: sed tantum de anima peccudis: cuius sanguine vesci Deus Israeli-

B tis ibi interdicit. Et ratio est: quia anima pecuina non est spiritus separabilis: sed tantum halitus ex *νεφέλαι* humorū in sanguinis vehiculo consistens: quo percunte perit & anima. Anima vero hominis est spiraculum vitæ, *πνεύμα forinsecus* inspiratum à Deo, separabile à corpore, immortale. Deinde negat consequentiam, propter figuratum dictum: *Possum*, inquit, etiam dicere, præceptum illud de non edendo sanguine, quia sanguis est anima, etiam in signo positum. Et hoc probat à minori,

C quia etiam in re maioris momenti de eucharistia Dominus non dubitavit figuratè loqui. Non enim dubitavit Dominus dicere: *hoc est corpus meum: dans signum sui corporis.* Item à conditione veteris testamenti: in quo pleraq; typicè & figuratè dicuntur: exempli causa: *Petra erat Christus: pro, significabat Christum: Septem vaccæ sunt septem anni, pro, significant septem annos, &c.* Obiter hoc monui: quia memorabile Augustini dictum, de tropica locutione verborum Domini, illi disputationi admixtum habetur: de quo suprà, c. II.

51. ECCE MYSTERIUM VOBIS
DICO) Haec tenus duo obiecta Epicureo-
rum apostolus prolixè retudit: ac *primo*
demonstravit, absurdum vel impossibile
non esse, corpora mortua & corrupta in
terra, reviviscere, cùm idē in natura fieri
videamus. *Deinde* absurdum alterū nul-
lum esse, quod ingerebant de qualitate
corporum resurgentium: quoniam non

X_x⁺